

Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Torcé, Nr. 3

Ego Hildebertus, Cenomannorum episcopus, omnibus sancte ecclesie fidelibus tam futuris quam presentibus, notum fieri volo quod monachi Majoris monasterii nostram presentiam adierunt, petentes ut donum ecclesie de Torciaco quam quorundam fidelium devotio nostris temporibus eorum loco contulerat concederem et litterarum nostrarum auctoritate firmarem. Quorum petitionem cum qua decuit benignitate suscepi eisque ipsam ecclesiam futuris temporibus possidendam concessi. Et ut ipse assensus noster atque concessio inviolabilis permaneret, presentibus litteris et sigilli pontificalis impressione eam roborari precepi. Data Cenomanis civitate, II kalendas octobris.